

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 72. (Neovidensis 1808. Nro. 71.)

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Veneris 20. Sep. 1808. (Neov 2. Sep. 1808.)

In antiquis temporibus — Augustus Livie.
Nostris — Catharina & Fridericus
In diversis temporibus — semper idem.

Colloquentes Manes.

Livius. Rhodericus.

Rod. Quis, amabo, genius his me invisit
in oris.

Liv. Titus Livius sum, ante 18 cir-
citer secula Romanam scripsi Historiam.

Rod. Gaudeo magnopere de tanti Genii
conspetu.

Liv. Quid tibi in hac mensa?

Rod. Nugae — Ephemerides — ipse
olim celeberram scriptor Ephemeridum Co-
loniæ Agrippinæ!

Liv. Aïsne? Ephemerides, scriptor Ephe-
meridum? quod id, quæso, munus?

Rod. Ephemerides sunt paginæ volantes
cursum hodiernorum eventuum complecten-
tes, typisque editæ in orbem ad eos, qui
eas conducunt, expediuntur.

Liv. Ergo ceu scriptor Ephemeridum
Coloniæ & Historiarum scriptor fuisti?

Rod. Ad obsequia, quot hebdomadis
mediam philyram currentis Historiæ edidi.

Liv. Singularis scribendi Historiam ratio! igitur multos scriptores alebas, qui historiam quotidianam tuam describendam habebant?

Rod. Minime Gentium! omnia typis excudenda curabam, en paginam!

Liv. Ergo non scripta hæc pagina?

Rnd. Nequaquam — sed typo expressa, excusa; multa intra diem milia parari possunt.

Liv. Nobilis sane, inventio — Nobis nec typographia, nec Ephemerides præsto erant, ergo & mea scripta excusa?

Rod. Ea in Italia, Hollandia, imo & Colonia Agrippinæ sæpe edita sunt; Typographia meritum auctoris perenne reddit. Anno superiore elegans Livii Editio in America prodiit.

Liv. Aisne in America, nova fortassis urbe?

Rod. Imo vero nova orbis parte, novo Continente orbis Asiæ, Europæ & Africae suppare.

Liv. Novus orbis? ergo nos Romani, orbis Domini, dimidium solum subegimus? hem pudor!

Rod. Parce dicto, vos orbis Domini vix 20-mam ejus partem tenuistis; est in Europa Regnum vestro amplius Imperio, bella gerens usque Persidem.

Liv. Et tu Coloniae ad Rhenum quater in hebdomade quidpiam ex Historia hujus Imperii scribere potuisti? miram!

Rod. Ita est, de hoc & aliis omnibus Statibus, in quibus memorabilia evenere.

Liv. Res profecto singularis: historiam in id modi fragmentis scribere, indulge sciam rationem historiam, quæ Ephemeridum nomine venit, texendi.

Rod. Lubenti animo (assidet mensæ, ephemerides expandit, accersit publicum Tabellarium, speciem domestici Caduceatoris qui Domum Postalem adit, litteras & ephemerides aufert) quærit ex eo: an gallicus Cursor jam advenerit; reponit: En litteras & Ephemerides! legit, — Superi! singularia nova Londino d. 8. Aug.

Liv. Quid ferunt?

Rod. (clara voce legit) Gen. Dux Stewart, & Gen. Coote Manningham Portsmouthium adpulere, ad Hispanias trajiciendum. Nupero Veneris vespere Tribunus Boubury ex 3 legione ad exercitum in Hispanias profectus. Percepimus Excerpta ex Hispania, gravis argumenti sunt, cum effectum supputandum præbeant, quem pugna ad Rivum sicco (Rio secos) in animos habuerit, victoria non in parte Hispanorum stetit. Fertur regimini certum officialium militarium numerum dimidio stipendio ad activitatem ponendi consilium esse, ad eos organisandæ massæ Patriotarum in Hisp. & Portugallia applicandos. Hi officiales dimidium stipendium retinent, præterea integrum a regimine Hispanico & Portugallico consequuntur. (Excerpta ex *The Times* secundum Paris. Diarium).

(Cerussam arripit, Articulum ea subducit, & ad famulum: defer ad Tipographeum).

Liv. Ergo hoc gravis argumenti.

Rod. Sane! at jam ultra (scribit) Anglicis officialibus nunc comis interdictum, cujuscunque demum eæ gradus fuerint, ipsi regii principes hoc Jussu tenentur.

Liv. Equidem Caudarum novitatem non gravis argumenti autumo.

Rod. Id tu putas scilicet — habet ea sequelam in Fabricas. Centum enim mille comæ in exercitu minimum millionem ulnarum ligularum nigrarum exigebant, hoc ligularum venditionem minuit, multi ligularum confectores pane orbantur, & si fabricans ligulæ quotidie in oratione Dominica panem quotidianum petit, implicite quoque orat: quoniam per gestationem comarum ligularum consumptio promovetur, & ex harum confectioe vitæ alimentata percipio, consequitur suapte: etiam comarum custodiam oratione contineri,

Liv. Vere profundum ratiocinium! tam alte mens mea non surrexisset.

Rod. Hic lego adhuc in gallicis paginis memorabilem Articulum. (Scribit) Publicista de 28. Aug. sic habet: „Plures ex Dania literæ prolixè loquuntur de discordia inter Sveciam, & conclave Brittanicum. Dicitur a Rege legatum Anglicanum ad suum cubile accitum eique acerbissimas ob perfidiam regiminis objectiones fecisse, declarasseque: se nullam posthac cum Anglia communem causam facere velle, nihil adversus Norvegiam susci-

pere, omnem conatum suum ad recuperandam Finniam dirigendum, tum ad pacem cum Dania & Russia conficiendam. Additur porro; legato regem placandi conatum fuisse, ad hunc eum indignatione dorsum obvertisse. Ex hoc tempore, memorant eædam litteræ, a rege tentantur impossibilia, sufficientem copiarum numerum ad novam in Finniam expeditionem cogere nititur, pars Classis ad Carolocoronam ingrediens ad Sinum Bothnicum stationem fixit ad motus Classis scopulosæ, quæ augeri videtur, detegendos. Regi ipsi Russicam scopulosam Classem adoriendi, tum Expeditionem magnam suscipiendi consilium esse dicitur.

Liv. Hæc relatio rumor saltim videtur mihi.

Rod. Rumores, dictationes, narrationes, argumenta Novorum efficiunt, etenim: si novorum scriptor meras veritates inserere vellet, sæpenumero paginæ vacuæ essent. — Apage igitur ad Typographiam. Eheu! heu! En officiosas ex Helvetia litteras (scribit) ex Helvetia de 20. Aug. — Præfectus Republicæ Encicloas I. Prov. Regiminibus indicavit: sibi a Gallico regimine urgentes, seriasque propositiones factas, eo tendentes: ut Gallia profugis & Conscriptis in Helvetiam se recipientibus majore cum auctoritate invigiletur, territorium Helvetum interdicatur.

Verba postulati hæc sunt: Nullus Gallus a 15—30 anno in Helvetia toleretur, nisi liberi Commeatus a Gallico legato litteris provisos. Jura fœderis poscere, ne ullus legibus patriis se subducens asylum in Helvetia nanciscatur.

Repetendo Invitationes ad solertem e foedere promanantis obligationis hujus custodiam Præfectus reipublicæ Cantonum regimina orat ut eum de agendi, quam in hoc argumento secuta, ratione edocere velint.

Liv. Si quid intelligo, scribere Nova non tantum artis est.

Rod. Hoc tibi videtur scilicet — est hoc arduum & plenum salebra opificium. Undiquaque cavendum, ne pedem offendas; lectoribus satisfaciendi, quotidie aliquo novo serviendi votum est; Correspon. & Diariorum editores nonnunquam memorant inania, & solo auditu excepta e thermopolis repetita. Jam rem veram & recentem Novalista ambabus arripit manibus & vide! aut mendacium est, aut si hoc non est, prave detorta veritas est, non multo abluens a mendacio. Tum insonant querelæ, feruntur monitoria, jaciuntur minæ, & id genus diplomaticæ facetiæ plures.

Liv. Nunc primum assequor: quid Ephemerides sint.

Rod. Moguntinæ seqv. continent: — Distributio præmiorum in Lyceis Parisinis per Præfectum Sequanæ suscepta est, coram Gen. Inspectore & Collegis Commissionis Studiorum. Hac occasione sequens propudiosus casus accidit, qui in Annalibus famigeratissimorum Germaniæ Alumnorum vix sibi similis reperiet.

Principio statim Sessionis, & perorante El. Potier, Professore in Liceo Napoleonis per vices audiebatur sibillus, sonus e penetralibus

Odosi manare videbatur: Sub distributione præmiorum per Classes bellarum scientiarum eadem indecentia reiterabatur; verum communis lætitia, quæ lecto cujusvis nomine ostendebatur, Jubilus turbæ, quoties alumnus Coronam adeptus, repetitam hanc læsionem occultavit, tum repente, cum præmia Matheseos annuntiarentur, adeo vehemens & continuus sibilus insonaret, ut Studiorum Præfectus, elenchum præmiorum manu tenens, lectionem interrumpere cogeretur.

Cum sibillatio prorsus non desineret, Magister, qui in ordine Alumnorum stabat, servandæ disciplinæ gratia, alumnum, qui continuo sibilare pergebat, nec ulla ratione se turbari sivit, propius accedit, at hic nequitia accensus, monenti pugnum obvertit, mox ad ejus exemplum animati Coalumni in magistrum irruere voluere, dum alii, quos reverentia tenebat, impetum amoliri viderentur. Ejectio turbatoris & sociorum tragico actui finem fecit.

Sessione absoluta Lyceorum administratio cum DD. G. Inspectoribus in unum Collegium conjuncta cum assensu D. Ministrinegot. int. decrevit: ut auctor excessus in perpetuum a Lyceis Parisinis excludatur.

B I O G R A P H I A.

Livius (Titus) celeberrimus Historicus Romanus. Paviæ, secundum alios Avonæ natus. Romam veniens amicos sibi acquisivit, ipsius Augusti benevolentiamactus, qui materialia scribendi suæ Biographiæ ei supeditavit. Eo mortuo Paviam rediit, & eadem quo

Ovidius die p. x. 21. & anno Tiberii 4 obiit. Opus, quo potissimum inclaruit est Historia Romana quæ ab Urbe condita usque mortem Drusi in Germania res Romanas prosequitur. Erat proprie non in Decades, sed 140 libros divisum, quorum 35 solum, nec illi in ordine super sunt. Eorum elegantia causa est, quod hanc jacturam Eruditi omnes defleant. Dabatur etiam omnis, quæ potuit, quamquam frustranea, eos conquirendi opera; Livius adhuc vita comite hac sua Historia tantam gloriam sibi conciliavit, ut teste Plinio Jun. Hispanus patria excederet Romanque concederet ejus solum conspectus, & colloqui gratia. Sunt qui Dialectum seu *Patavinitatem* ejus arguebant, & in referendo præprimis de Gallia, & Carthagine fidem ejus requirebant. Ceterum Historiam suam Romæ partim, partim Neapoli scripsit. Elegans admodum est Editio quæ Drakenii in Hollandia in 7 Tomis 1738 prodiit.
